

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5029

**Auteur(s) :** Eugène III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Adam, Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1146, 14 février

**Lieu d'émission :** Rome, Trastevere

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Le pape Eugène [III] prend l'abbaye de Mortemer sous sa protection et confirme les biens et les droits de ladite abbaye.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 38, p. 104-105.

b. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century*, its History and its Cartulary, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 6, p. 193-196.

### Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2<sup>e</sup>éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 8857, t. 2, p. 30.

Texte établi d'après b

« Privilegium domni Eugenii pape III. »

[E]ugenius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Ade abbati de Mortuomari eiusdem fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectum debet prosequente compleri ut et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et predecessoris nostri felicis memorie pape Innocentii vestigiis inherentes beate Dei genitricis semperque virginis Marie monasterium de Mortuomari in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communitus, statuantes ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum vel principum oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propicio poterit adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : vallem videlicet ipsam de Mortuomari in qua ipsum monasterium situm est cum suis pertinentiis, scilicet .XXX. acris terre circa monasterium et domos vestras, grangiam et domos quas habetis in landa de Belfussel cum .CLVII. acris terre, grangiam de Boscentin cum .CXLIII. acris terre, terram de Pomeria que vobis a Roberto de Dangu donata est cum grangiis et omnibus pertinentiis

suis, terram quam habetis in loco qui Rollum dicitur cum stagno et molendino et aliis edificiis vestris, terram de Musengeriam que vobis a predicto viro Roberto de Dangu et Baldrico de Bosco et hominibus eorum Radulfo Baignardo fratribusque eius donata est, terram de Quercu Giheri quam vobis in foresta de Tellis vicedomni de Gerbereto Petrus scilicet et Helyas donaverunt, concessione gloriosi regis Francorum Ludovici, libertates quoque et omnes quarumlibet consuetudinum immunitates quas vobis ab illustri rege Henrico constat esse concessas super animalibus et quibuslibet propriis rebus et mercatibus vestris per universum regnum et ducatum suum in terra et aquis et in omni portu marino, in civitatibus, vicis et in omni loco vobis nichilominus confirmamus. Sententiam vero que adversus monachos de Pinu de ipso monasterio vestro a venerabili fratre nostro Hugone archiepiscopo et ecclesia Rotomagensi canonice lata est ratam et inconvulsam perpetuis temporibus manere sancimus. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino clericus vel laicus sive monachus decimas a vobis exigere presumat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatum monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et sustentacione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva apostolice sedis auctoritate et diocesani episcopi canonica iusticia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita si non satisfactione congrua emendaverit potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine Dei et domni redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax domni nostri Iesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Data trans Tiberim per manum Roberti sancte Romane ecclesie cardinalis presbiteri et cancellarii XVI kalendas martii, indictione IXa, incarnationis dominice anno M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>XL<sup>o</sup>V<sup>o</sup>, pontificatus domni Eugenii pape III anno primo.